

*Astronomi jam Aristotelem planè refutatum.* Inconditus sanè clamor, nec Astronomorum, certè non omnium, sed tantùm eorum, qui nec quid sentiat, nec quomodo refutetur Aristoteles satis sciverunt. Non enim sequebatur, quia novæ, ergò generatæ. Nec quia una aut altera sententia Aristotelis non satis probabilis; totus Aristoteles [uti mos Neotericis Physicistis] continuò abjiciendus. *Unde, pergit, mirum quod jam negligentur.* Non statim negligitur id, de quo, ubi semel aut iterum dictum est, postea ad tempus tacetur, quod cur nonnulli fecerint, causam ipsi scient. Ego hanc puto, quòd vel pauca illa, quæ dixerint, ingrata fastidiosis reddita sint partim ab Astronomiæ contemptoribus, [surdis scilic. ad ejusmodi fabulas] partim à morositate Typographorum, in venditandis non nisi talibus, quæ novitate quadam curiosis abblandiantur, & madida adhuc à typis expensas iis qui sumtus suppeditarunt multoties multiplicatos, eodem statim anno & pene die instar Calendiariorum redhibeant. Ego certe minimè tacere de illis soleo, sed quotannis ferè illorum facio mentionem in capite de negotiis Politicis Practicæ meæ Calendariographicæ. Quippe qui existimem, & experimentis nonnullis deprehenderim constellationes insigniores, duas illas stellas novas Anni 1572. & 1604. relatione aliqua ferientes non esse sine singularium negotiorum significatione. *Sed, pergit, novitatis studium semper repudiat etiam propria, nisi recentissima sint dogmata.* Hoc quis fecerit & sententiam suam repudiârît, hoc est, ut ego intelligo, recantârît circa hæc sidera, fateor me ignorare. *Pergit. Non sunt tum genita stelle* [verum, ut ego puto, quid autem addit?] *sed ab aliis non visa tum animadversa.* Vetus hæc est nænia, sed cujus hodie meritò pudeat eum, qui vel exiguam astrorum cognitionem habeat. Quippe quæ dudum explosa partim opera Tychonis, qui insuper labore profusus Herculeo Anno 1572. in observatione novi sideris tunc visi stellas fixas ita recensuit, ut & illud, & quæ postea apparuerunt, præsertim insigniora ut An. 1604. nova fuerint, nec ne facile deprehensum sit; partim quod in Catalogo Tychonis non fuerint, partim quod non minus ac illud Tychoni coætaneum conspici tandem desierint, Sive quod corrupta; ergò & generata, aut in locum occultum abscondita, ex quo fortasse antea progressa. Videatur Tycho de Brahe in *Progymnasmatis* & Keplerus de *stella nova in pede Serpentarii*. Post quæ tempora, etsi sint qui conspici adhuc perhibeant stellam quæ fuit in pectore